

(1255) 1256, febrer, 5

*Beatriu de Medinyà estableix a Guillem de Pomer la batllia de les seves rendes de Toralles, en violari, per 200 sous d'acapte.*

ASD núm. 172, còpia de 1297, 215 x 202 mm.

Hoc est translatum fideliter ah originali sumptum octauo idus iulii anno Incarnacionis Christi millesimo .ec. octuagesimo septimo quod sic incipit. Notum sit omnibus quod ego domina Beatrix de Midiniano, domina de Toraliis, consilio et uoluntate Dalmacii de Midiniano uiri mei, gratis et ex certa sciencia dono, laudo et concedo donacione inter uiuos tibi Guilielmo de Pomerio de Toraliis de omni uita tua tantum totam baiuliam fideliter et ab integro tocius mei honoris culti et heremi et omnium tenedonum et possessionum que et quas habeo et habere debeo et que per me tenentur in tota parrochia Sancti Martini de Toraliis et eius terminis et pertinenciis, ita quod predictam baiuliam tocius supradicti honoris, tenedonum et possessionum iamdictarum censuum tascharum, usaticorum, agrariorum et aliorum iurium que in eadem parrochia habeo et accipio et habere et accipere debeo quocumque modo, iure uel ratione habeas et teneas et fideliter procures in omni uita tua et sis inde fidelis et legalis baiulus meus semper dum uixeris, conseruando et reddendo mihi et meis fideliter iure meo, et tu habeas et accipias inde tuum baiulium, sicut actenus alii baiuli ibi et inde consueuerunt accipere et habere. Et sic mito te in presenti in corporalem possessionem predictae baiulie, promitens eam tibi facere habere, tenere et possidere in sana pace semper de omni uita tua contra cunctos homines, et teneor inde tibi de euiccionem de omni uita tua, obligando inde tibi omnia bona nostra ubique. Et pro hac donacione recipio a te pro acapite ducentos solidos barchinonenses, renunciando excepcioni peccunie non numerate.

Actum est hoc nonas februarii anno Domini .MCCL. quinto.

Sig+num domine Beatricis de Midiniano, sig+num Dalmacii de Midiniano, uiri eius, qui hoc firmamus et laudamus. Sig+num Bemardi de Palaciolo. Sig+num Berengarii Pomarelli. Sig+num Mathei de Camporotundo. Sig+num Bernardi, filii Guilielmi Petri, testium.

Sig(s. man. )num Guilielmi, filii Guilielmi Petri, qui hoc scripsit. Sig(s. man. )num Guilielmi Petri, publici Castilionis scriptoris, qui hoc subscribo. Ego Raimundus de Oliueta, mandato Bernardi de Oliueta, notarii Campirotundi, hoc fideliter translataui, die et anno quo supra, cum suprascripto in tercia linea, ubi dicitur "de Midiniano", et hoc sig(s. man. )num feci. Ego Bernardus de Oliueta, ex parte mea · et Simonis Stephani, cuius locum habeo cum ambo simus publici notarii Campirotundi auctoritate domini regis et monasterii Campirotundi, subscribo et hoc sig(s. man. )num facio.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 358-359